

efficit, quales vocatio divina exposcit: homines videlicet mund crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus; homines in nocte vitæ ambulantes, qui, ut Paulus monet (1), in laboribus in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non flecta, in veritate seipsos exhibeant ut ministros Dei; qui unice in omnia tendant, et alios eodem adducere omni ope contendant.

Quoniam vero, ut nemo unus ignorat, vitæ sanctitas eatenus fructus est voluntatis nostræ, quod hæc gratiæ subsidio roboretur a Deo, abunde nobis Deus ipse providit, ne gratiæ munere, si velimus, ullo tempore careamus; idque in primis assequimur studio precandi. — Sane precationem inter et sanctimoniam is necessario intercedit usus, ut altera esse sine altera nullo modo possit. Quocirca consentanea omnino veritati est ea sententia Chrysostomi: *Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis presidio cum virtute degere* (2); acutiusque Augustinus concludit: *Vere novit recte vivere, qui recte novit orare* (3). Quæ nobis documenta Christus ipse et crebra hortatione et maxime exemplo suo firmiter persuasit. Nempe orandi causa vel in deserta secedebat, vel montes subibat solus; noctes solidas totus in eo exigebat; templum frequenter adibat; quin etiam, stipantibus turbis, ipse erectis in cælum oculis palam orabat: denique suffixus cruci, medios inter mortis dolores, cum clamore valido et lacrimis supplicavit Patri. Hoc igitur certum ratumque habeamus, sacerdotem, ut gradum officiumque digne sustineat suum, precandi studio eximie deditum esse oportere, Sæpius quidem dolendum quod ipse ex consuetudine potius id faciat quam ex animi ardore; qui statis horis oscitanter psallat vel pauculas interserat precas, nec deinde ullam de die partem memor tribuat alloquendo Deo, pie sursum adspirans. Sed enim sacerdos multo impensius ceteris paruisse debet Christi præcepto: *Oportet semper orare* (4); cui inhærens Paulus tantopere suadebat: *Oratione instate, vigilantes in ea in gratiarum actione* (5); *Sine intermissione orate* (6). Animo quippe sanctimoniam propriam æque ac salutis alienæ cupido quam multæ per diem sese dant occasiones ut in Deum feratur! Angores intimi, temptationum vis ac pertinacia, virtutum inopia, remissio ac sterilitas operum, offensiones et negligentiam creberrimæ, timor demum ad judicia divina; hæc omnia valde incitant ut ploremus coram Domino,

(1) 11 Cor. VI. 5 et seq.

(2) de precatione orat. I.

(3) Rom. IV. ex. 50.

(4) Luc. XVIII. 1.

(5) Coloss. IV. 2.

(6) 1 Thess. V. 17.